

DL 12.



9

RELIGIO  
CHRISTIANA

ab Hostibus irrifa,  
a nobis sanctissime habita,

*Oratorio Actu in Schola Episcopali*

XII. Martii, ab hora VIII. matutina  
defensitabitur.

Observantissime humanissimeque ad au-  
diendum inuitat.

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,  
Rector.

---

C I Z Æ,  
Literis FRIDEMANNI HETSTEDII.

i.)







بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ



Emo vnquam Philosophorum  
 tam accurate animorum *εικόνας*, & inge-  
 niorum characteres describere potuit;  
 quam diuinus Apostolus in sua priore  
 ad Corinthios epistola expresfit, quo ani-  
 mo & ingenio vniuersum genus huma-  
 num fuerit erga Christianam Religionem. Quemadmo-  
 dum enim illo tempore mortalium quilibet, si paucos Chri-  
 sti confessores exceperis, vel Iudæi erant; vel Paganæ su-  
 p̄rstitutioni addicti, quos a communi plurimarum gentium  
 lingua Ἕλληνας, *Græcos*, appellabant: ita vtriusque populi  
 sensum atque indolem his verbis exactissime descripsit  
 Apostolus: *Ιουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσιν, Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν.*  
*ἡμεῖς ἢ κηρύσσοντες χριστὸν ἑσαυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάν-*  
*δαλον, Ἕλλησι ἢ μωροῖσιν.* Ita sane se res habet: & vt de  
 Iudæis primum agamus, illis cupidissimis prodigiorum,  
 signorum, miraculorum, adeo fordebant CHRISTI &  
 Apostolorum vere diuina miracula, vt semper noua, &  
 maiora, præsertim ad suum genium & arbitrium conforma-  
 ta, requisuerint. quod ex Euangeliis quoque constat,  
 Matth. XII. 38. XVI. 1. Iohann. VI. 30. &c. Non tempo-  
 ra mutarunt hanc Iudæorum indolem, sed quæ olim fuit,  
 eandem ad nostram vsque ætatem obtinent, a suoque,  
 quem stolide præstolantur, Messia, prodigia & miracula  
 innumera expectant, eorumque defectum Christianæ re-  
 ligioni non sine exagitatione obiiciunt. Vix quisquam  
 Iudæorum deliberatius, aut impudentius potius, de hac re,  
 A 2 quam

quam Mulhusinus Lipmannus, scripsit, ex cuius Nizachon  
 pauca in medium proferre lubet. Primum vrget num. 228.  
 ex Esa. II. 2. & 4. quod nondum fit **הר בירא ה' בראש**  
**ההר הגדול ונשא מגבעות** *mons domus Dei eleuatio*  
*ceteris montibus, atq; ex eo ראיהו argumentū sumit, שלא*  
**משיח בנה** *quod Messias nondum aduenerit.* Egregia  
 nota Mesfiani aduentus! Adscendentibus molestia foret  
 tam excelsa templi eleuatio: Propheta vero *commoda &*  
*gaudia* ibidem promittit. Hinc ipsum Kimchium puduit  
 tam ineptæ interpretationis, qui parallelismum Mich. IV. 1.  
 ita exponit: **לא שהיה ההר ההוא גבוה בגופי ממה שהיה**  
**אלא שהגוים ינשוה וכברוה** *non quod mons ille altior fu-*  
*turus sit in substantia sua, quam antea fuit, sed quod gentes*  
*eum honoratura sint.* Deinde vniuersalem pacem deside-  
 rat in Mesfiano seculo Lipmannus, c. I. adiiciens:  
**וגם שמה נזכרו אותות שלא נתקיימו עדיין שנה**  
**וכתתו חרבותם לאתים** &c. i. e. *etiam ibidem* (in E-  
 saia loco) *memorantur miracula, quæ adhuc non comprobata*  
*sunt. Dicitur enim: gladios suos in vomeres conuertent*  
*&c.* Eadem spe putida & se, & suos Menasse Ben Israel,  
 Iudæus Latine doctus, de Resurr. Mort. p. 253. oblectat, *Tunc,*  
*inquiens, Mesfiae tempore, omnes quieta, tranquilla ac*  
*felicissima vita fruuntur, quoniam nullo armorum strepitu*  
*terra infestabitur, cessabuntque bella, quæ antea ob dissen-*  
*sionem de religione fortiter diuque geri solebant.* Sed nihil  
 hæc sapiunt, nisi Iudaicam mentem, quæ spiritualis pacis,  
 & reditutionis in gratiam cum Deo, per Christum factæ,  
 etiam Christianæ dilectionis & concordis fidei, ignara &  
 incuriosa, molle sibi otium, & sensuum oblectationes fin-  
 git. Eadem ratio est *fluuui admirandi, qui ex Hierosoly-*  
*mis, teste Zacharia XIV. 8, 16. versus vtrumque mare*  
*emanaturus sit.* Addit vero idem Lipmannus num. 163.  
**ידוע למולים ולערלים שהיו בירושלם שאין שם**  
**עדיין שום נהר המתחלק לשני ימים** *scire circumcisos*  
*& incircumcisos, qui Hierosolymis fuerunt, nullum talem flu-*

מיומ

*num ibidem esse, qui ita bipartito in duo maria decurrat.*  
 stolide literam Iudæus in iis verbis vrget, quæ tribulium  
 suffragio **על דרך משר** *metaphorice seu mystice* sunt  
 interpretanda, quippe magno consensu in parallelis locis  
*aquas novas, fontes, flumina de gratia & doctrina celestis ex-*  
*superantia exponunt.* Videatur *Jonathan Chaldaus* Esa.  
 XII. 3. Zachar. XIII. 1. *idem & Kimchi* Ezech. XXXVI. 25.  
*Moses Hakkohen* apud *AbenEfram* Zach. XIII. 1. &c. In-  
 numeras eiusmodi ineptias ex Iudæorum scriptis,  
 etiam ex vnico Lipmanno, dare possemus, si in-  
 stituti nostri ratio atque breuitas permetteret. Illud  
 vero silentio nequimus prætermittere, quod idem re-  
 cutitus in *Regno & Exinanitione* Mesiaæ nostri desiderat.  
 Num. 118. & 279. hoc argumentum tractat, **לא הורה**  
**הנוצרי משר בכר העולם** *IESVM Nazare-*  
*num toti mundo nunquam dominatum esse, præsertim*  
**בשרא** *nomen dominatoris in Israel, Mich. V. 2. ipsi*  
 non conuenire. Blaspheme enim (ast non impune) quæ-  
 rit num. 269. **אימתי מלך הנוצרי על ציון** *quando regna-*  
*uit Nazarenus in Zione?* eadem, quamuis mollioribus  
 verbis, recentissimus R. Abendana, ante XVIII. fere an-  
 nos, Amstelodami scripsit, in Spicilegio ad Num. XXIV. 17.  
**הנה לא הורה מיעקב שהרס ורמס כל האומות**  
**או חמדינורו שבעולם עד היום ולורה יחייב**  
**שנודה שעל מקד המשיח אשר אנחנו מקוים**  
**ביאתו נאמרה זרה הנבואה:** id est,  
*Ecce non fuit adhuc ex Iacob, qui vastaret & euerteret*  
*omnes gentes aut ciuitates, quæ in mundo sunt, usque ad ho-*  
*diernum diem. Inde oportet nos fateri, quod de Mesia, cu-*  
*ius aduentum nos exspectamus, hæc propheta dicta sit. Ite-*  
*rum sic ingenium, quod maiestatem spiritualis regni Mes-*  
*fiani non capit, produnt* *οἱ Ἰσραηλῆται Φεγγυτες* Iudæi. Nos  
 haud quidquam vrget, quod Kimchi in *Responsionibus* ad  
 Psal. II. & Lipman n. 262. & 279. obiiciunt, neque spiritua-  
 le regnum vaticinijs satisfacere, cum vniuersale non sit,  
 nec



nec Turci, neque Iudæi Christo nostro cultum exhibeant. Nam Deum suum, quem ipsi Iudæi colunt, nonne in principio libelli precum Iudaicarum vocant אלהים *Domini* uniuersi mundi? qui vero, pro ipsorum confessione, non colitur a Gentilibus, Christianis, Turcis: nec tamen hoc ipso imperium eius diuinum imminui concedunt. Ergo neque Christi regno decedit quidquam, si impii Iudæi pro Domino Ipsum non agnoscunt. Alterum quod carpunt in Religione nostra Iudæi, est Messia nostræ paupertas atque exinanitio. Iterum impurum & maledicum Lipmannum ex num. 262. audiamus: ונין אלהים לאלהים *turpe sit illis* (Christianis) *quod Deum suum vocant pauperem.* Sed heus Iudæe, quod σκάνδαλον, μωρία, *ἡ* turpitude, tibi tuisque est, id nobis est δυνάμις θεῶν, καὶ σοφία θεῶν. Distingue inter Messiam vt *Deum*, & vt *Hominem*: & hunc vel *Exinanitum* vel *Exaltatum*. Nam πλῆσιθ ὦν, ἐπιώχασε δι' ἡμᾶς II. Corinth. VIII. 9. quod ipsi maiores tui non ignorarunt.

Alterum genus hominum, amplissimum olim fuit lateque diffusum, Paganorum scilicet, quorum cum pauciores hodie sint, in remotissimis tantum regionibus & insulis; in Græcorum autem locum successerint Mohammedani, eorumque lingua perinde, ac olim Græca, maiorem orbis terrarum partem, id est, Asiam fere omnem, Africam plurimam, Europæ prouincias opulentissimas, occupant; quid Mohammedani de nostra religione sentiant, ex ipsorum scriptis breuissime declarasse, operæ pretium erit. Maxime vero impugnant SS. Trinitatis mysterium, illam ἀκρόπολιν Christianæ religionis. Quamuis enim de Christo nostro, vt Dei legato, honorifice videantur existimare; tamen Dei filium esse, aut plures vna, in Deitate personas, strenue pernegant, & Christianos, qui vtrumque asseuerant, ferro flammaque persequuntur. Quid? quod lege

a Mo-



• a Mohammede lata illud credere prohibentur, quæ eiusmo-

di est: لا تقولوا ثلاثاً *ne dicite: Trinitas est.* Ratio-

nem addunt eandem, quam Iudæi etiam vrgere solent, quia

الله الا واحد *Deus verus Deus unus est: absit ut sit ei filius.* De Mesfia au-

tem ita loquuntur: *non est Mesfias, filius Mariæ, nisi legatus.*

Plura & grauiora contra æternam Filii Dei generatio-  
nem habent, quæ quod sine pietatis læsione vix legi ab o-  
mnibus possunt, silentio præterimus. Adeo etiam impu-  
dentia procedunt, vt, cum nos ex Ps. II. 7. audiant probare,  
*DEO Filium esse,* verborum significationem & linguæ suæ  
indolem, ne Christianæ causæ seruire videantur, intolerabi-  
li audacia peruertant. Cum enim in Arabico Psalterio, vt e-  
ditio Romana Maronitarū exhibet, plane *ὁμοψηφα* Ebrææ  
veritati verba leguntur: *hodie genui te;*  
non verentur scribere Mohammedani, Radicem *ولد*  
heic non *generandi*, sed *educandi & nutriendi* significatio-  
nem habere, quæ quod non solum origini Ebrææ, sed vsui  
quoque Arabico atque exemplis repugnant; dudum subo-  
luit eruditis Christianis, illam totam causam ab impiis Mo-  
hammedanis, & quidem Christianorum odio, confictam  
esse. Sed es suas sibi habeant impuri homines, Deique  
contemptores: quibus salus sua, per Christum reparata, curæ  
cordique est, maiori sanctitate reuerentur, colunt, exoscu-  
lantur æternum Dei Filium, qui homo factus est, vt pauper-  
tatem pro nobis subiret, crucisque supplicium pro morta-  
lium genere vniuerso sustineret. Ringant Iudæi, toruum  
videant Mohammedani, exsibilent pagani atque *μωεσαν*  
nostram fidem proclamant: nos tamen *εν τῷ σταυρῷ τῆς κυ-  
ριῆς ἡμῶν* In *ἧς χερσὶς καυχώμεθα*, Gal. VI. 14. nec gloriæ  
tantum nobis illam crucem esse, sed lucro etiam atque  
commodo incomparabili, credimus atque confitemur:  
nec, hoc præsertim sanctissimo tempore, putamus quid-  
quam

quam nos scire, nisi IESVM, EVMQVE CRUCIFIXVM;  
Nec veremur cum Bernhardo scribere: *Hec est mea subli-  
mior Philosophia, scire IESVM, & hunc crucifixum.* Id  
tum nostro commodo meditatur, tum nostris meditan-  
dum atque recolendum, tempori seruiens, præcipimus.  
Ex iis cum sint nonnulli, qui, antequam Academiam cum  
nostra schola commutarent, denuo suos profectus osten-  
dere, & vt Patroni atque Præceptores bene valeant, pu-  
blice precari constituerunt; non aliam ipsis materiam con-  
uenire magis duximus, quam quæ *crucem Christi salutife-  
ram* commendet, & *hostes illius* confutet atque interimat.  
Qua ergo pietate & prompto obsequio semper fuerunt; nihil  
prius antiquiusque habuerunt, quam vt vltimo officii Scho-  
lastici actu etiam pietatem spirent, & se amicos crucis  
Christi esse, testentur publice.

IOHANNES ergo IACOBVS SCVLTVS, Cœ-  
nobio-Zinna Marchicus, nostræ Scholæ per quinquennium  
non deses alumnus, hostes religionis & crucis Christianæ  
*veteres*, Iudæos præsertim, & antiquiores hæreticos, sibi  
poposcit confutandos. Hunc excipiet

HENRICVS CHRISTIANVS Müller / Numbür-  
gensis, *recentiores* hostes, inprimis Turcos, Neo-Photinia-  
nos, & quotquot his vel aperte, vel occulte student, stilo  
simplici, nec tamen rudi, aggressurus. Tandem

IO. HERMANNVS Albrecht / Rauschenberga Hassus,  
*patientiam* Saluatoris nostri admiratus, qua tam pestilentif-  
simos hostes, sui que contemptores detestandos ferre, eo-  
rumque emendationem æquo animo expectare potest; de  
*patientia Redemptoris nostri* nonnihil adicere in publica pa-  
negyri, decreuit. Singuli, non immemores beneficiorum,  
gratias Patronis atque Præceptoribus eadem opera agent.  
Ad hoc exercitium tam pium, tam sanctum, tam dignum,  
tempore, vt Musarchæ, Patroni, atque Amici, si per grauio-  
ra negotia licebit, crastino die post VIII. matutinam in Æde  
Scholastica conueniant, consuetaque beneuolentia auscul-  
tent, est, quod obseruanter & amice rogo. PP. Cizæ XI.  
Mart. clōc LXXVIII.


Nr 3165


8<sup>o</sup>

107

107







9

# REGIO TIANA

ous irrifa,  
time habita,  
*Schola Episcopali*

ra VIII. matutina  
itabitur.

manissimeque ad au-  
inuitat.

RVS CELLARIVS,  
COL.

Z Æ,  
NNI HETSTEDII.

i.)

